



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. De poßibilitate visionis Dei per vim supernaturalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

Dubium
incidens
de intelle-
ctu cogno-
scentie na-
turaliter
supernatu-
ralia.

supernaturales v. g. visionem Dei, gratiam, &c. quia illa entia intelligi possunt ab aliquo intellectu, quæ sunt in eodem gradu abstractionis à materia, illa enim ratio erat ob quam negabatur possibilitas intellectus qui Deum naturaliter videat, sed entia supernaturalia creata sunt in eodem gradu abstractionis cum sint potentialia, ergo possunt ab aliquo intellectu naturaliter videri.

Resp. esse quoque impossibile intellectum qui naturaliter cognoscat entia supernaturalia creata, etiam si illa sint in eodem gradu abstractionis in quo est intellectus Angelicus v. g. ratio est quia ille intellectus specificaretur ab obiecto supernaturali, atque ita esset supernaturalis, quod ostendi esse impossibile. Deinde obiectum supernaturale semper est improporcionatum cum potentia naturali, ergo naturaliter ab ea non potest attingi. Fateor ergo verum esse, quod intellectus non potest vnquam naturaliter cognoscere id quod est in gradu abstractionis superiori, sed nego illum posse cognoscere quicquid est in eodem gradu abstractionis si sit improporcionatum.

SECTIO II.

De possibilitate visionis Dei per vim supernaturalem. Art. 1. & 3.

SI non est creabilis à Deo ullus intellectus, qui naturaliter cum intueri possit, restat, vt si videatur, aut videri possit, id fiat per eleuationem indebitam omni prorsus intellectui creato, vbi triplex esse potest dubium. Primò vtrum verè Dei visio sit possibilis intellectui humano & Angelico, sitque actu existens. Secundò vtrum illa possibilitas demonstrari possit. Tertiò vtrum illa sit possibilis oculo corporeo, aut alicui saltem alteri potentie materiali.

S. I.

Vtrum visio Dei sit possibilis intellectui eleuato & vtrum sit actu existens.

Hæretici
plures ne-
garunt vi-
deri Deum
à beatis.

NEgarunt beatis facilem hanc Dei visionem Armeni apud Alphonsum de Castro, & Armacanum, dicentes Deum per essentiam non cognosci ab illis, sed fulgorem dumtaxat quendam manantem à vultu Dei; quem etiam errorem video tribui Petro Abailardo, & Socio eius Arnaldo Brixienfi licet refragetur Vasquez recentiores sanè Græci abierunt in hanc sententiam, & dicunt non videri Deum nisi in luce quadam, & imagine ab eo effluente, quam vocant Theophaniam.

Ratio autem dubitandi multiplex omnino, & difficilis est, quam video peti partim ex parte obiecti visi, partim ex parte intellectus videntis. Primò enim argumentor ex improporzione Dei clarè visi cum intellectu creato, nam illud obiectum ab intellectu etiam eleuato non potest attingi, quod non habet proportionem vllam naturalem cum eo; sed Deus clarè visus non habet vllam proportionem naturalem etiam inchoatam cum intellectu, ergo, &c. Maiorem admittunt omnes, si enim nulla requireretur proportio etiam inchoata obiecti, & potentie, posset qualibet potentia quodlibet attingere obiectum, & sic oculus posset audire, oculus videre. Probatur maior, vbi est distantia infinita ibi non est proportio, sed inter Deum clarè visum, & intellectum est distantia infinita, ergo non est proportio etiam inchoata. Probo maiorem, distantia infinita potest illud totum quod facit distantia finita, imò cum contineat distantias omnes finitas, poterit illud totum quod possunt omnes distantie finitæ

Prima ra-
tio dubi-
tandi ex
impropor-
tione ob-
iecti.

sed distantia finita sufficit ad tollendam proportionem, imò distantia, & improporzione videntur synonyma, ergo distantia infinita tollet omnem proportionem.

Neque satis est dicere inter Deum clarè visum, & intellectum, non esse proportionem in ratione entis, sed in ratione, obiecti & potentie. Contra enim est quia illa ratio obiecti & potentie, est ratio realis, ergo est ratio entis: ergo illud distat in ratione obiecti & potentie quod distat in ratione entis.

Secundò obiectum omnino supernaturale vt sic, non est intra latitudinem obiecti adæquati potentie create, Deus clarè visus est obiectum supernaturale (vt dixi) ergo non est intra latitudinem obiecti adæquati potentie create. Probatur maior illud non est obiectum potentie create à quo potentia creata non potest specificari, sed non potest etiam inadæquate specificari ab obiecto supernaturali, quia quod secundum se totum est purè naturale, non potest specificari ab ente supernaturali, ergo obiectum supernaturale, non est intra obiectum adæquatum potentie create.

Neque dicas intellectum non respicere rationem illam supernaturalem vt sic, sed tantum sub ratione quadam communi quæ nec est naturalis, nec supernaturalis, sed abstrahit ab vtròque.

Contra enim in isto: ordo transcendentalis potentie ad obiectum antecedit omnem operationem intellectus, illa ratio communis est tantum per intellectum, ergo illa vt sic non respicitur transcendentaliter à potentia. Deinde illud saltem inadæquate specificat potentiam quod attingitur à potentia, ista ratio supernaturalis attingitur, ergo saltem inadæquate specificat.

Tertiò quo perfectius est obiectum eo maior debet esse perfectio determinata visionis quæ illud attingitur quidditatiue prout est in se, Deus est obiectum infinitum simpliciter, ergo visio eius debet esse infinita simpliciter. Probatur maior vt videatur obiectum finitè perfectius alio obiecto finito, necesse est vt visio illius superet determinatam perfectionem finitæ visionem obiecti minus perfecti, nam visio equi perfectior est ceteris paribus, quàm visio lapidis, ergo vt videatur obiectum infinitè perfectius, oportet vt eius visio superet visionem alterius determinatæ perfectione infinita. Confirmatur primò nam ideò Deus est infinitus quia superat, & continet, omnes substantias finitas, sed visio Dei superat & continet omnes visiones finitorum obiectorum, ergo est infinita. Confirmatur secundò Deus vt comprehendendus non magis est infinitus quàm vt videndus, sed vt Deus comprehendatur necessaria est infinita cognitio, ergo vt videatur, necessaria est infinita perfectio. Confirmatur tertiò quia vt videantur creature omnes posibles requiritur infinita visio, ergo illa est multò magis necessaria, vt videatur Deus qui est obiectum multò magis infinitum quàm omnes creature simul sumptæ.

Quartò, potentia vitalis non potest eleuari extra suum obiectum, sed Deus vt clarè visibilis non minus est extra obiectum adæquatum intellectus, quàm Deus vt comprehensibilis, tota enim ratio cur dicas esse intra obiectum adæquatum est quia Deus vt visibilis est ens, Deus autem vt comprehensibilis est etiam ens.

Quintò, magis distat actus purus ab intellectu potentiali, quàm ens spirituale à potentia corporea saltem possibili, sed neque oculus corporeus, neque vlla potentia materialis possibilis potest videre aliquid ens spirituale, ergo intellectus non potest videre Deum. Neque dicas magis distare in ratione perfectionis non in ratione obiecti. Contra enim, nam

Secunda
ratio dubi-
tandi ex
supernatu-
ralitate
obiecti.

Tertia ra-
tio dubi-
tandi ex
perfectio-
ne infinita
Dei.

Quarta ra-
tio dubi-
tandi ex
parte in-
tellectus.

Quinta ra-
tio dubi-
tandi ex
paritate
potentie
corporeæ.

si

si actus purus potest esse intra obiectum adequatum intellectus potentialis, ens etiam spirituale poterit esse intra obiectum adequatum potentiae alicuius materialis, si non existentis saltem possibilis, vel probetur implicantia.

Conclusio
certa de
fide.

Dicendum tamen primò est, beatos omnes tum Angelos tum homines Deum immediatè in se ipso videre posse, ac de facto videre per auxilium supernaturale. Ita inter Catholicos omnes certum habetur de fide.

Prima probatio
ex
Scripturis.

Primò enim sic habetur in multis scripturis vtriusque testamenti. Isaia 33. *Regem in decore suo videbunt oculi eius, aspicient terram de longe.* id est vt explicat Gregorius in ipso fulgore diuinitatis, siue vt ait Glossa interlinearis, in ipsa Deitate. Psalmus 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Quod de beata visione interpretantur Augustinus, Lyrar. & alij, primæ Ioann. 3. *Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est,* id est, immediatè in se ipso, vt explicat Euarist. Papa, Epistola ad Episcopos Africae, Concilium Francofordiense, Epist. ad Episcopos Hispaniae: primæ ad Corinthios 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* vbi Apostolus interpretibus Irenæo lib. 5. cap. 7. & Augustin. lib. 1. de Trinit. cap. 13. cognitionem per species creatas, quam nunc habemus de Deo, *Vocat speculari, & Anigmaticam,* quia mediata est, & obscura, speculum enim significat effectus, in quibus prius cognitis cognoscitur Deus tanquam in caligine: cognitionem verò alterius vitæ, dicit esse facie ad faciem, id est nullo interposito medio, præsentem Deum intuentem, quia clara, & immediata est, vnde addit, *nunc cognosco ex parte,* id est inadæquatè, vel vt explicant alij per partibilia *Tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* id est, inquit Anselmus *purè cognoscam eum, sicut ipse me nouit.* Alia etiam loca innumera possunt proferri, *Beati mundo corde,* &c. *Angeli eorum semper vident faciem patris mei.* Neque obstat quod in scripturis aliquando dicatur Deum videri facie ad faciem, quamuis videatur obscure tantum, vt Genesios 32. *Vidi Dominum facie ad faciem;* nam reuera quoties hoc dicitur visio facialis significatur, sed Angeli alicuius in corpore assumpto Deum representantis, & ex subiecta materia totòque contextu intelligi debet de corporea visione, loca verò quæ attuli de huiusmodi visione nequeunt intelligi cum dicitur, v. gr. quod Angeli vident faciem patris. Si quando autem dicunt Deum esse inuisibilem, Deum nemo vidit vnquam, non quia Patrem vidit quisquam, &c. de viatoribus explicari debent.

Secunda
probatio
ex Conci-
liis & Pa-
tribus.

Secundò definita eadem veritas est in Concilio Viennensi, Clementina ad nostrum de Hæreticis, Florentino in litteris vniuersionis, Tridentino sess. 25. de inuocatione sanctorum. Deinde ab Euaristo epist. 1. citata, ac demum à Benedicto XII. vt probat Belarmin. vel XI. vt putat Vasq. in extrauagante quam habet Castro verbo *Beatitudo.* Denique consentiunt omnes Patres Nazianz. orat. 26. *Quanta est vilitas nostra, & abiectio, quanta rursus sollicitatio, Deum cognoscere vt cogniti sumus.* Irenæus lib. 4. cap. 34. *Homines igitur videbant Deum, & viuunt per visionem immortales facti, & pertingentes usque in Deum.* Vide Vasquem d. 37. cap. 5. vbi plurimos refert, vnus sanè Chrysostomus difficilia quædam habet loca sed benignè tamen tantus Doctor explicari debet de cognitione adequata, & comprehensua.

Tertiò ratio etiam afferri potest, quia solus Deus est obiectiua beatitudo Beatorum vt prima secundæ probari solet, ergo beatitudo formalis, perfecta etiam possessio esse debet quæ non potest esse nisi visio di-

stincta & immediata. Alia rationes statim examinantur accuratius.

Ad primam Resp. concedendo esse debere proportionem aliquam inter obiectum cognitum & potentiam cognoscentem: sed nego illam proportionem esse posse vllam æqualitatem aut similitudinem perfectionis, in eo enim duntaxat proportio illa consistit, vt obiectum participet rationem formalem obiecti adequati huius potentiae, ratione cuius ab illo attingi possit. Itaque debet esse proportio in ratione obiecti vt cognoscibilis, non in ratione perfectionis, nam auris, v. gr. licet in ratione perfectionis, proportionem habeat cum colore, in ratione tamen obiecti cognoscibilis nullam habet. Deus autem clarè visus licet in ratione perfectionis proportionem cum creato intellectu non habeat, habet tamen proportionem obiecti cognoscibilis ad potentiam, quatenus participat rationem communem obiecti adequati intellectus. Fateor ergo quod vbi est distantia infinita non est proportio in ratione perfectionis, quamuis esse possit altera illa proportio quam dixi, neque enim illa est proportio in ratione entis absolute sumpti, sed in ratione entis vt cognoscibilis.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad secundam Resp. eo argumento probari quod potentia vitalis nullum elicere posset actum supernaturalem. Potentia ergo naturalis quatenus est obiectualiter operatiua specificari potest ab obiecto supernaturali, quia vt sic est supernaturalis saltem connotatiue, & licet obiectum supernaturale non contineatur intra obiectum adequatum potentiae naturalis, vt naturalis est, continetur tamen intra obiectum eius vt est obiectualis.

Solutio
secundæ
dubitatio-
nis.

Ad Tertiam Resp. proportionem aliam vocari à Doctoribus Geometricam, aliam Arithmetica. Geometrica illa dicitur, in qua mensura & quantitas excessus, non est fixa & immobilis secundum gradus perfectionis, sed est transitus ad alteram speciem. Arithmetica dicitur illa in qua mensura excessus fixa omnino est & immobilis secundum gradus perfectionis, sicut triplum se habet ad duplum, sic quadruplum se habet ad triplum, inter obiectum, & cognitionem non est proportio illa determinata, & Arithmetica, ita vt si obiectum vnum excedat aliud obiectum, in tribus gradibus perfectionis, cognitio etiam illius excedat tribus gradibus perfectionem visionis alterius, sic enim probatur visionem hominis, v. gr. esse infinitam, quia homo est perfectior infinitis aliis entibus possibilibus, inter obiectum igitur, & cognitionem, est proportio solum Geometrica, ratione cuius quando perfectius est obiectum, cognitio etiam sit perfectior, in diuersa specie, non autem secundum eandem mensuram, & quantitatem perfectionis. Si enim obiectum sit infinite perfectum, cognitio eius erit in specie nobiliori, quam sit cognitio cuiuscunque obiecti inferioris, sed non propterea tamen erit infinita, quia cognitio non crescit secundum proportionem Arithmetica, & fixam aliquam quantitatem. Vnde ad argumentum distinguitur maior, quod perfectius est obiectum, eò perfectior est cognitio determinata perfectione graduale secundum proportionem Arithmetica per plures gradus perfectionis, nego: secundum proportionem Geometricam, ratione cuius cognitio sit in altera specie concedo.

Solutio
tertiæ du-
bitationis.

Ad primam confirm. absolute negatur quod ideo Deus sit infinitus quia superat omnes substantias finitas: sic enim sequeretur hominem esse infinitum.

Ad secundam confirm. parebit postea quid de comprehensione dicendum sit, nunc satis est dicere ideo cognitionem comprehensiuam obiecti infiniti esse infinitam, quia est cognitio adequata obiecti

E 3 infiniti

infiniti, quod non conuenit visioni eo ipso quod est intuitiua.

Ad tertiam confirmationem de creaturis possibili-
bus ratio etiam afferetur postea quare cognitio earum esset infinita, quia esset comprehensiuæ Dei, vt probabitur.

Instabis si cognitio alicuius obiecti perfectionis vt vnum, superat determinatâ perfectione cognitionem obiecti minus perfecti; cognitio obiecti vt sex superabit determinatâ perfectione maiori, cognitionem illam, ergo cognitio obiecti infiniti perfectionis, infinire superabit illam cognitionem.

Respondetur negando consequentiam, quia cognitio obiecti perfectioris vt vnum, non superat cognitionem obiecti minus perfecti, secundum proportionem fixam & immobilem, sed secundum proportionem Geometricam.

Solutio
quartæ dubitationis.

Ad quartam Resp. obiectum adæquatum intellectus esse ens vt cognoscibile cognitione finita, non cognoscibile cognitione infinita. Deus vt visibilis, est cognoscibilis cognitione finita, idè est intra obiectum adæquatum intellectus creati, Deus vt comprehensibilis, non est attingibilis nisi cognitione infinita vt probabitur, atque aded non est intra obiectum intellectus.

Solutio
quintæ dubitationis.

Ad quintam constabit ex fine sectionis actum purum in ratione perfectionis magis distare ab intellectu, quam ens spiritale distat à potentia materiali: sed in ratione obiecti minus distare. Quod esse difficillimum constabit ex ibi dicendis.

§. II.

Utrum possibilitas visionis Dei demonstrari possit.

Dupliciter possibilitas rei alicuius potest demonstrari primò euidenter negatiuè, si soluantur euidenter argumenta omnia, quibus probari videtur eius impossibilitas. Secundò euidenter positiuè, si afferatur medium aliquod quo demonstraretur illam esse possibilem.

Prima dubitatio ex ratione S. Thomæ.

Ratio ergo dubitandi primò est, quia possibilitatem hanc sufficienter demonstrare videtur ratio S. Thomæ, quam etiam approbat Vasques 1. 2. disp. 20. cap. 2. & petitur ex naturali desiderio videndi Deum. Cognito enim effectu naturaliter desideramus cognoscere intuitiue illius causam, nam cognitio solum abstractiua non potest satiare appetitum, vt patet, imò magis illum accendit. Sed hoc naturale desiderium, esse non potest inane, ergo visio causæ primæ possibilis est. Deinde omnis creatura rationalis, desiderium habet naturale beatitudinis, quæ non est nisi visio Dei sed ex eo appetitu necessariò sequitur eius possibilitas, nunquam enim appetitus naturalis fertur ad rem impossibilem: ergo, &c.

Secunda dubitatio ex Scoti ratione.

Secundò argumentari videtur efficaciter Scotus in 4. distinct. 49. quæst. 8. potentia cuius obiectum est omne cognoscibile, debet posse cognoscere intuitiue primum cognoscibile, obiectum intellectus est omne cognoscibile ergo debet, posse cognoscere intuitiue Deum qui est primum cognoscibile probatur maior omnis potentia cognoscens potest attingere illud obiectum quod si non cognoscat quietari non potest, sed potentia cuius obiectum est omne cognoscibile, non potest quiescere donec cognoscat primum cognoscibile, si enim non cognoscat illud nisi in vniuersali, non cognoscat illud ut est in se, ac proinde in ea cognitione non quiescet, sicut visus non potest quietari, nisi in pulcherrimo visibili. Ergo potentia cuius obiectum est omne cognoscibile, debet videre intuitiue Deum alioqui non quiescet. Confirm. potentia eleuari potest ad id totum per quod non extrahitur extra suum obiectum adæquatum. Sed si videat Deum

non extrahatur extra suum obiectum adæquatum, ergo, potest eleuari ad videndum Deum.

Tertiò argumentatur etiam Scotus: quod est proprium perfectionis in aliquo genere, si competit inferiori in illo genere, competit etiam superiori, sed cognitio intuitiua obiecti principalis conuenit sensui, ergo multò magis conuenit intellectui.

Tertia dubitatio ex Scoto.

Dico secundò possibilitas visionis Dei demonstrari euidenter negatiuè potest: Positiuè autem demonstrari non videtur, sed probabiliter tantum suppositâ reuelatione declarari.

Affertio negatiua.

Prima pars certa est ex dictis, nam illud euidenter negatiuè demonstratur, quod ostenditur non implicare soluendo implicantias omnes, quæ afferuntur. Quæcunque verò implicantiam visionis Dei demonstrare videbantur, euidenter soluta sunt.

Probatio primæ partis.

Secunda pars contra multos tum veteres, tum recentiores Theologos probatur, quia obiectum secundum substantiam suam supernaturale non potest certò, & euidenter cognosci per vires naturæ, visio Dei est secundum substantiam suam supernaturalis, ergo, &c. Probatur maior, sicut causâ purè naturalis, non potest producere rem supernaturalem ex eo quod illam non contineat, & sit inferioris ordinis, sic neque potentia naturalis cognoscere illam potest, cum inferioris etiam sit ordinis. Confirm. quia non possum cognoscere naturaliter, intellectum posse scire, illud quod non potest scire naturaliter, sed intellectus naturaliter non potest videre Deum, ergo non possum scire naturaliter intellectum id posse. Deinde id magis constabit ex solutione rationum quibus probari solet illa possibilitas, apparebit enim illas probabiles quidem esse, sed non demonstratiuas.

Probatio secundæ partis.

Tertia denique pars ostenditur tribus illis rationibus quæ sanè probabiles sunt (vt dixi) deinde congruentia afferuntur optimæ, quia Dei bonitas propendit ad sui communicationem, in visione autem Deus se ipsum præstantissimo modo communicat, cum vniatur beato, & visio Dei possessio Dei sit, Participatio Dei est videre Deum (inquit Irenæus, & eleganter Cyrillus Visio Dei (inquit) possessio est salutaris, & totius boni radix in nobis & principium. Deinde illa est gloria Dei maxima, cum sit manifestatio euidens totius magnitudinis eius. Denique constat nobis Deum multa posse supra vires naturæ, neque visio Dei ostenditur implicare, ergo concludendum est illam esse possibilem.

Probatio tertiz partis.

Ad primam Responderi potest, nullum esse in nobis appetitum proximum ad visionem Dei, & beatitudinem, vt prima secundæ probari solet. Cognito ergo effectu naturaliter appetimus videre illius causam, si possibilis existimetur visio causæ, si verò non putetur possibilis contenti sumus cognitione solum abstractiua. Beatitudinem etiam supernaturalem seclusâ reuelatione naturaliter non appetimus, quia eam seclusâ reuelatione naturaliter non cognoscimus. Possumus autem suppositâ reuelatione naturaliter eam appetere per appetitum elicited, sed hinc non probatur eius possibilitas, quia potest actus elicited sape appetere aliquid impossibile.

Solutio rationis S. Thomæ.

Ad secundam Responderi etiam potest quod eodem argumento, probaretur Deum posse comprehendere, quia prout comprehensibilis, est ens. Deinde probat æquè, naturaliter possibilem esse Dei visionem; nam etiam obiectum ab intellectu naturaliter attingibile est ens. Itaque responderi posset obiectum adæquatum intellectus esse ens vniuersalissimè sumptum, sub quo continetur Deus vt abstractiue cognoscibilis, ens autem vniuersale prout continet Deum intuitiue visibilem, non esse obiectum intellectus.

Solutio primæ rationis Scoti.

Ad tertiam Responderi etiam potest cum Suarez lib. 2. c. 7. eodem argumento probari posse quod claritas

Solutio secundæ rationis Scoti.

claritas propria scientiæ, multò magis competere potest fidei, quæ scientia nobilior est. Imò probaretur videri Deum posse naturaliter ab intellectu, quandoquidem sensus naturaliter videt suum principale obiectum. Itaque distinguenda est illa maior quod est proprium perfectionis simpliciter in aliquo genere, si competit inferiori, competit etiam superiori, si sint in eodem ordine naturali concedo, si sint in ordine diuerso nego, Obiectum sensus & sensus ipse, sunt in eodem ordine naturali, idè sensus intuitiue cognoscit obiectum suum principale, Deus autem vt visibilis non est in eodem ordine in quo est intellectus, idè argumentari non licet à sensu ad intellectum.

§. III.

Utrum oculus corporeus, aut alia potentia materialis possibilibus eleuari possit ad videndum Deum. Art. 3.

Dupliciter potentia materialis attingere posset obiectum spirituale, primò per cognitionem corpoream, Secundo per actionem merè spirituales quæ obediuntialiter prodiret à potentia corporea de vtroque modo.

Prima ratio dubitandi.

Ratio, dubit. primò est, tota ratio quæ probat esse impossibile, vt potentia materialis attingat ens incorporeum, atque adè ipsum Deum, est quia, ens incorporeum contineri non potest intra obiectum adæquatum potentiæ corporeæ, illa ratio nulla est, ergo. Probatur minor, non magis implicat, vt ens incorporeum contineatur intra obiectum formale potentiæ materialis, quàm vt actus purus, & infinitus contineatur intra obiectum adæquatum intellectus potentialis, & finiti. Sed actus purus continetur intra obiectum adæquatum intellectus potentialis, ergo ens spirituale potest contineri intra obiectum adæquatum potentiæ materialis. Confirm. quia magis distat actus purus ab intellectu potentiali, quàm ens spirituale à potentia materiali, ergo si actus purus habere potest proportionem in ratione obiecti cum intellectu potentiali, poterit etià ens spirituale, habere proportionem in ratione obiecti, cum aliqua potentia materiali.

Secunda ratio dubitandi.

Secundò, potest oculus corporeus eleuari ad videndum Deum, si possit efficere ac recipere totum illud, quod potest efficere, ac recipere intellectus dum videt Deum, sed potest totum recipere ac producere; potest enim producere ac recipere verbum mentis quo intellectus formaliter redditur intelligens, & actionem etiam similem, ergo tam oculus corporeus videre potest Deum quàm intellectus.

Tertia ratio dubitandi.

Tertiò potest aqua eleuari ad producendam gratiam, & quoduis aliud ens, ex eo præcisè quod est producibile, ergo potest eleuari oculus ad producendam visionem, & ad cognoscendum quodlibet cognoscibile. Probo consequentiam non magis egreditur oculus extra obiectum adæquatum videndo quodlibet cognoscibile, quia est cognoscibile, quàm aqua producendo quodlibet producibile, ex eo præcisè quod est producibile, sed aqua non egreditur extra obiectum adæquatum, ergo neque oculus. Confirmatur nam sicut frigidum est obiectum adæquatum aquæ, prout est potentia naturalis, omne autem producibile est obiectum illius prout est potentia obediuntialis, ita etiam coloratum est obiectum adæquatum potentiæ visuæ agentis naturaliter, omne autem cognoscibile illius erit obiectum prout agit obediuntialiter.

Affectio negatiua.

Dico tertiò neque oculus corporeus, neque potentia vlla materialis existens aut possibilis, eleuari potest ad videndum, vel etiam ad cognoscendum abstractiue Deum.

Primam partem de qualibet potentia materiali actu existente admittunt vnanimiter scolastici omnes cum S. Thoma hic art. 3. Scotò quæst. 11. & alii qui etiam certum ex fide putant refragantibus aliis cum Valentia & Sala.

Prima probatio.

Primò autem sic omnino asserunt Patres explicantes illud Exodi, non poteris videre faciem meam, & scribentes aduersus Antropomorphitas. S. Petrus ad Clementem lib. 3. recognitionum Deus (inquit) videtur mente non corpore, spiritu non carne. S. Iustinus in Dialogo non potest (inquit) oculis aspicere Deus sed solà mente percipitur. Idem asserunt Didymus Alexand. enarr. primam Epist. primam Ioannis. Nazianz. orat. 34. Augustinus licet videatur aliquando dubitasse præsertim Epist. 3. & lib. 20. Ciuitatis cap. 19. alibi tamen satis suam mentem explicat præsertim lib. 1. de Trinit. c. 6. lib. 2. Capite item 6. lib. 3. contra Maximinum, epist. 6. & epist. 112. ad Paulinam, *Audiat caro carnalibus cogitationibus ebria, spiritus est Deus, vbi etiam allegat Ambr. l. 1. in Lucam cap. 1. cuius verba sunt, Nec Deus in loco videtur sed mundo corde, nec corporalibus oculis Deus queritur, nec circumscriptur visu, nec tenetur tactu, nec auditur asfatu, nec sentitur incesu, & cum absens putatur, videtur, & cum presens est non videtur.*

Secundò tamen, ratio quæ implicanciam illam demonstrat difficillima est; nam illa petitur vel ex improprietate potentiæ organicæ, cum obiecto incorporeo, quæ probatio est S. Thomæ, vel nititur eo principio quod nulla potentia egredi possit extra limites obiecti sui adæquati: sed hæc vtrique ratio si nihil addatur non videtur sufficiens, quia dici posset potentiam organicam obediuntialiter esse posse proportionatam obiecto spirituali, & illam etiam potentiam eleuatam habere pro obiecto omne cognoscibile neque vacat examinare, nunc rationes quibus vtuntur Suares, Herice, Arrubal, videnturque insufficientes nisi eis addatur aliquid. Sic igitur videor efficaciter posse argumentari.

Ratio probans oculum non posse videre Deum.

Nulla potentia vitalis eleuari potest ad attingendum obiectum suum vitaliter, ad quod non habet proportionem vllam naturalem saltem inchoatam, id est quod non potest vllò modo attingere naturaliter, potentia corporea, non potest naturaliter attingere obiectum spirituale, ergo neque potest eleuari ad illud attingendum supernaturaliter. Minor certa est saltem agendo de potentia ordinaria. Maiorem in qua est tota difficultas, sic probo primo ex variis incommotis quæ sequerentur si potentia vitalis, non haberet idem obiectum adæquatum, & connaturale, sic enim bruta eleuari possent ad cognoscendam indifferentiam obiectorum in ratione boni, & mali, atque adè esse possent capacia libertatis, & meriti: lapis etiam eleuari posset ad videndum Deum eodem modo ac oculus, similiter auris & odoratus non possunt videre Deum, oculus non potest videre sonum, aut saporem, sensus ratiocinari, & appetere non possunt. Quorum omnium ratio vnica est; quia potentia vitalis, non potest eleuari ad obiectum illud supernaturaliter attingendum quod nullo modo potest attingere naturaliter, siue quod idem habeat obiectum adæquatum, & connaturale. Vnde confirm. videre Deum, videre sonum, gustare, aut tangere Deum nullo modo differunt, sed implicat videri sonum, gustari, aut tangi Deum, ergo implicat etiam oculo videri Deum.

Deinde probatur à priori eadem maior quia potentia vitalis, verbi gratia potentia visuæ specificatur in ratione potentiæ visuæ, ab illa inchoata proportionem naturali, quam habet ad obiectum connaturale quod est coloratum, per illam habitudinem ad coloratum vt sic distinguitur à potentia auditua. Vnde argumentor potentia vitalis non agit vitaliter

ter

ter etiam eleuata, nisi tendat in id per quod specificatur in ratione potentia agentis vitaliter, sed non specificatur in ratione agentis vitaliter nisi ab illa proportionem inchoata, & tendentia in propriam rationem formalem obiecti connaturalis: ergo non potest agere vitaliter nisi tendat in obiectum connaturale. Probatur minor, per illud specificatur potentia visua formaliter, per quod distinguitur à potentia auditua, odoratiua, intellectiua, sed non distinguitur nisi per illam tendentiam in propriam rationem formalem obiecti connaturalis: ergo per illam specificatur in ratione potentia visua formaliter etiam prout eleuata: ideo.

Confirmatur (ni fallor clarissime) tunc potentia visua non videt quando non agit vt visua formaliter, sed si videret rem spiritualement, cum qua naturalem non haberet proportionem, non ageret formaliter vt visua, ergo videret illam, & non videret. Probatur minor, tunc potentia visua non agit formaliter vt visua quando non tedit in obiectum formaliter vt visibile, sed non tenderet in obiectum formaliter vt visibile, ergo non ageret formaliter vt visua. Probatur minor, ratio formalis obiecti visibilis non est ratio communis entis sub ratione veri, sed est aliqua ratio specialis propria solius potentia visua, nempe coloratum, in quo conueniunt omnia visibilia. Sed potentia visua tenderet tunc in obiectum sub ratione communi veri seu intelligibilis, ergo non tenderet in obiectum vt visibile. Nam visibile, vt visibile, quocunque modo sumatur naturaliter, aut supernaturaliter, distinguitur ab intelligibili, vt sic, sed non distinguitur si visibile sit communis ratio entis vt veri, non autem ratio colorati, ergo solum coloratum est visibile formaliter, atque adeo illud solum attingi potest à potentia vt visua etiam supernaturaliter, sicut implicat vt aqua calefaciat supernaturaliter, prout est frige factiua, ergo similiter implicat vt potentia visua vt visua tendat in aliquid quod non est coloratum.

Nulla potentia corporea est possibilis quæ Deum videat.

Secunda pars de potentia materiali possibili difficilius probatur, quia non est facile ostendere quare implicet rem spiritualement esse intra obiectum adæquatum potentia alicuius materialis possibilis, quod cum admittunt recentiores nonnulli, viam omnem præcludunt ad probandam spiritualitatem, & immortalitatem animæ rationalis.

Probatur tamen primò, quia omnis potentia cognoscitiua debet habere obiectum specificatum distinctum ab obiecto specificante alias potentias, illa potentia materialis quæ percipere posset corporea, & incorporea non haberet obiectum aliquod specificatum distinctum ab obiecto specificante alias potentias, ergo est impossibilis potentia materialis intra cuius obiectum adæquatum contineatur ens spirituale. Probatur minor, illa ratio formalis deberet necessarîo esse aliquid commune rei materiali, & rei spirituali vt patet, sed nulla ratio potest esse communis enti materiali, & immateriali, nisi ratio entis, vt cognoscibilis, quæ specificatiua est intellectus: ergo nullum potest dari obiectum specificans talem potentiam.

Deinde vt argumentabar olim, virtus cognoscitiua potentia cognoscentis debet esse, secundum modum immaterialitatis ipsius cognoscentis, id est potentia cognoscentis non debet esse infra modum immaterialitatis, in quo est obiectum cognitum. Sed potentia materialis est infra modum immaterialitatis obiecti spiritualis huiusmodi, ergo non potest attingere rem spiritualement. Denique obiectum adæquatum potentia materialis minus latè debet patere, quàm obiectum potentia spiritualis; æquè autem esset extensum si cognosceret spiritualia, ergo implicat,

vt obiectum spirituale sit intra obiectum adæquatum potentia corporea. Hinc.

Ad primam Resp. negando absolutè illam propositionem: non magis implicat rem incorpoream contineri intra obiectum formale potentia corporea, quàm actum purum contineri intra rationem obiecti adæquati intellectus potentialis, & finiti. Ratio autem disparitatis duplex est ex his quæ modò dicebam. Prima quia actus purus, & intellectus potentialis conueniunt in aliquo modo immaterialitatis, in quo non conueniunt, potentia corporea, & obiectum spirituale. Ideoque cum obiectum superans in omni modo immaterialitatis potentiam, percipi non possit, sequitur obiectum spirituale nullo modo posse percipi à potentia purè materiali. Deinde altera ratio disparitatis est, quia dari potest aliqua ratio specificans intellectum communis actui puro, & aliis obiectis potentialibus quæ cognoscuntur ab intellectu, nempe ratio veri vt sic, sed vt ostendebam nulla potest dari ratio specificans potentiam materialem communis obiecto corporeo, & incorporeo, quia illa non posset esse nisi ratio veri, per quam specificari non potest potentia materialis, cum illa sit ratio specificatiua intellectus. Itaque actus purus potest participare rationem formalem specificatiuam intellectus, res spiritualis vt ostendi non potest participare rationem specificatiuam potentia materialis quæ cum non possit esse ratio veri, necessarîo est aliquid proprium solius entis materialis. Imò etiam addi potest rationem illam quæ specificat potentiam materialem minus latè patere, quàm rationem formalem quæ specificat intellectum, si autem contineret rem spiritualement æquè latè pateret, ergo implicat rem spiritualement contineri intra obiectum potentia materialis, cum tamen actus purus contineatur intra obiectum intellectus.

Ad confirm. non restat difficultas, quia actus purus, & intellectus potentialis in ratione obiecti minus distant, quàm Angelus, & oculus, quamuis in ratione perfectionis magis distent vt sæpè dixi.

Ad secundam Resp. disting. maiorem, potest oculus eleuari ad videndum Deum æquè ac intellectus, si possit efficere totum illud quod facit intellectus, cum eadem proportionem inchoata naturali concedo, si potest sine illa inchoata perfectione nego, quia potentia vitalis (vt dixi) nunquam eleuari potest ad operandum circa id ad quod non habet inchoatam proportionem naturalem, ideoque licet oculus aut etiam lapis possit efficere diuinitus, ac recipere totum illud quod potest efficere ac recipere intellectus, dum Deum videt, nunquam tamen videbunt Deum, quia nunquam fit visio nisi quando talis actio, & terminus, sunt ab eo quod habet inchoatam huiusmodi proportionem. Neque dicas formam communicatam subiecto communicare illi suum effectum formalem, sed visio Dei tota esse potest in oculo, nam illa vel est solum verbum mentis, vel actio simul & verbum mentis, ergo, &c. Resp. visionem Dei esse non posse in oculo, etiam si verbum mentis esset tota visio, quia esset quidem tota visio quando esset in subiecto proportionato, non autem quando esset in subiecto improporcionado, esset enim ibi mortuo modo non autem vitaliter.

Ad tertiam Respond. posse aquam eleuari ad producendum quodlibet producibile, modo id specialiter non implicet; sed nego quod propterea oculus, aut altera potentia cognoscentis vel appetens eleuari possit, ad cognoscendum quodlibet cognoscibile. Ratio disparitatis est, quia potentia obedientialis visibilis (vt sæpè dixi) non exigit vllam inchoatam proportionem naturalem cum effectu quem producit, cum non denominetur talis per illam proportionem

Solutio primæ difficultatis.

Solutio secundæ dubitationis.

Solutio tertie dubitationis.

nem aut habitudinem specialem ad obiectum. At verò potentia obedientialis vitalis (vt probaui) licet in ratione potentiae actiuae, aut passivae proportionem illam non exigit, vnde oculus totam producere potest entitatem visionis, tamen in ratione potentiae vitalis necessario exigit illam proportionem & habitudinem per quam solam denominatur, & specificatur ac distinguitur à quacunque alia potentia vitali, atque ita egrederetur extra limites sui obiecti adequati quod habet tanquam potentia vitalis, si cognosceret quodlibet cognoscibile.

QVÆSTIO II.

De principiis productivis visionis Dei.

Art. 2. & 5.

Habemus posse videri à nobis Deum, & de facto videri ab omnibus beatis, desiderantibus semper conspiciere lumen illud quod vident, & in quo habitant & cuius aspectu beati sunt; habentes quod desiderant & desiderantes quod habent. Nunc ad quaestionem an sit, pertinent etiam principia productiva huius visionis: primum ex parte obiecti se tenens, est species impressa. Secundum se tenens ex parte potentiae dicitur lumen gloriæ. Tertium potentia ipsa intellectiva.

SECTIO I.

De principio ex parte obiecti concurrente ad visionem. Art. 2.

Obiectum
concurrit
ad cogni-
tionem vel
per se, vel
per speciem.

Certum est primò, nullam esse cognitionem ad quam non concurrat obiectum vel per se ipsum immediatè, vel per vicarià sui speciem. Cognition enim ex potentia & obiecto nascitur, vt sæpè docet Augustinus, & vtrumque ad illam concurrunt: potentia semper per se ipsam, obiectum aliquando per se ipsum si sit præsens, & proportionatum, aliquando autem per vicariam sui speciem, quas impressas dicimus: *Necesse est* inquit Philosophus 3. anim. cap. 3. textu 38. *res ipsas aut formas in anima esse*, at non sunt in ea res ipsae profecto, non enim lapis ipse in anima, sed forma lapidis.

Quid sit
species
impressa.

Certum est secundò, speciem impressam communiter definitur: *est virtualis similitudo alicuius obiecti*, id est qualitas quæ loco ipsius obiecti effectivè concurrat ad cognitionem, complendo potentiam, & illam determinando, ex parte ipsius obiecti. Dicitur *similitudo*, quia repræsentat obiectum, id est facit illud esse præsens potentiae. Dicitur *virtualis*, quia non repræsentat obiectum formaliter, reddendo illam formaliter cognoscentem, sed repræsentat virtualiter, quia facit ipsam cognitionem tanquam vicaria virtus obiecti. Vnde colligitur tria esse munera speciei. Primum est vnire obiectum potentiae, id est facere potentiam intentionaliter similem obiecto, non enim potest esse similitudo, quin subiectum in quo est faciat simile obiecto, eo modo quo ipsa est similitudo. Secundum determinare potentiam de se indifferentem ad multa cognoscenda, vt cognoscat potius vnum quàm aliud. Tertium & præcipuum est complere potentiam, ex parte ipsius obiecti. Hoc autem non est aliud quàm speciem esse instrumentum ipsius obiecti in productione cognitionis; habitus enim se tenet ex parte potentiae, quia est actiuitas ipsius potentiae: species autem est quasi actiuitas, & instrumentum obiecti, faciendo id quod facere posset obiectum si esset præsens, & proportionatum. Cognition enim duas habet formalitates, est vitalis, & est repræsentatio formalis rei cognitæ, totam quidem entitatem cognitionis producit potentia, & totam speciem; sed potentia,

Tom. I.

& quidquid se tenet ex parte potentiae, præcipuè concurrat ad cognitionem vt vitalis est. Obiectum autem, & quidquid concurrat ex parte obiecti, præcipuè concurrat ad eam vt est imago ipsius obiecti, vno igitur verbo species ex parte obiecti dicitur concurrere, quia facit cognitionem loco ipsius obiecti, faciendo id quod faceret obiectum. Et hoc diligenter observandum est quia ex falsa eius interpretatione, multa dici solent, vt patebit statim, falsa omnino & commentitia, v.g. quod species debeat esse perfectio ipsius obiecti, sicut omne accidens est perfectio subiecti. Deinde fingunt quidam Theologi quod species esse debeat immaterialior obiecto, debeat esse eiusdem rationis specificæ, ac participare omnes perfectiones obiecti, quæ omnia sunt apertè falsa, vt patet ex speciebus Angelorum, quis enim dicat eas esse immaterialiores Angelis & eiusdem rationis specificæ. Denique falsum etiam est quod addunt, esse necesse vt species producantur per emanationem necessariam ab obiecto, quia non sunt imagines ad placitum, sed naturales, falsum inquam est; quia possunt aliquando species liberè produci, neque tamen signa sunt ad placitum, quia ex suppositione quod sint necessario repræsentant.

His positis, celebris inter Theologos controuersia est circa causam illam quæ concurrat ex parte obiecti ad visionem intuitivam Dei: an scilicet Deus per se ipsum concurrat, an per vicariam sui speciem, quæ vt clarissimè dissolvatur. Primò, videndum est, an sit possibilis species impressa Dei quæ concurrat ad visionem. Secundò, vtrum illa detur de facto in beatis. Tertiò, an & quomodo Dei essentia concurrat ad visionem vtrum autem sit possibilis species aliqua Dei obiectiva, quæ sit abstractiva simul & quidditativa & de specie expressa dicetur quæst. 4.

§. I.

Vtrum sit possibilis species impressa Dei.

Negant possibilitatem huius speciei cum S. Thoma, omnes Thomistæ, quos sequuntur multi recentiores in Italia, & Hispania, Cabreca, Ruiz, Arrub. Granadus, Tannerus, Recupitus, à quibus innumera excogitata sunt argumenta, sed ferè inania & inefficacia ex plurimis conditionibus quas falsò attribuunt speciei, & omnes vno verbo negari debent.

Ratio ergo dubitandi primò, sit, quia ex S. Thoma, obiectum superioris ordinis non potest intuitivè cognosci per speciem inferioris ordinis, alioqui obiectum spirituale, posset repræsentari per speciem materiale, sed qualibet species creata est inferioris ordinis, quàm ens increatum, non solum in essendo, sed etiam in repræsentando, nam species per eandem omnino formalitatem habet quod sit, & quod repræsentet, ergo tam implicat species impressa Dei actus puri, quàm species materialis, alicuius Angeli. Confirmat. primò, quia omnis species posita in intellectu est obiectum ipsum intelligibiliter, sed ens creatum quod non est suum esse, non potest esse ipse Deus intelligibiliter, non enim est actus purus, & simile Deo vt est in se, ergo, &c. Confirm. secundò, quia ens illimitatum essentialiter in ratione intelligibilis contineri non potest intra speciem limitatam, alioqui dari posset species Dei comprehensiva.

Secundò species essentialiter ordinatur ad supplendum defectum obiecti, quando illud vel est absens vel improporcionatum cum cognitione, quarum neutrum convenire potest Deo, ergo implicat eius species. Prob. conseq. quotiescunque aliquis defectus est impossibilis, implicat etiam natura realis ordinata tantum ad supplendum talem defectum, sicut implicat potentia ordinata ad producendum effectum impossibilem, & sicut si anima esset per se ipsam essentialiter

Prima ratio dubitandi.

Secunda ratio dubitandi.

F

intellectus